



Universitätsbibliothek Paderborn

**Christomachia Calvinistica, Et Sacramentariorvm Omnivm
Vere Sathanica**

Lindt, Willem van der

Coloniae, 1584

VD16 L 1925

II. Secundus agit de S. Eucharistia; cui veru[m] D. Christi corpus &
sanguine[m] cum Iud[a]eis subtrahere plusqua[m] sathanica conantur
audacia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30267

CONTRA CALVINIST. 145

Dei verbo, Apostolicaq; doctrina est
Solis luce clarius confirmatum.

DE S. EVCHARISTIA, LIBER II.
QVOD VERVM ET PRAE- CAP. I.
sens habet Dom. corpus.

Satis superque, opinor, demonstra-
tum, Caluinistas noua sua doctri-
na, licet ex Pelagianismo recocta, i-
maginarium ac viuifico Christi spiri-
tu vacuum Christianis inuehere Bap-
tismum, cum eo solum ad speciem v-
tantur, ne toto exsibentur orbe, tē-
pus nunc admonet, de S. Eucharistia
breuiter dicendum, quam ipsi, cœnā
malunt dicere Domini. Verūm quo-
uis appellant nomine, nobis ostendēdum est, eos nō minus imaginariā,
rebusque vacuam suis miserè decep-
tis discipulis proponere, quam pueris
inane, inimicō vacuum, totoq; Christi
spiritu exsors & destitutum adhibere
Baptisma.

Cœnam suam, aiunt esse passionis
Dominicę commemorationem, quā
K suis

suis usque recolendam præcepit dominus Christus. Cum aiunt esse commemorationem, planum omnibus faciunt, quod & profitentur impudenter. tissima oratione, nihil sua fese in cœna habere præsentis Dominici corporis, aut sanguinis, immo audebat blasphemus ille non minus, quam impudicissimus poëta Theodorus Beza de blaterare, sua à cœna tam longè corpus Domini abesse, quam cœlum à terra. Quod verum esse quis inficitur? cum enim nec fidem Christi tenent Apostolicam, nec pię consecrationis (cuius D. Paulus disertis verbis meminit Corinth. Calix cui benedicimus εὐλογήμεν benè precamur, consecramus) habeat aut formulam, aut facultatem, quæ solis Apostolis, ipsorumque successoribus Episcopis, & ab eis ordinatis sacerdotibus a Christo Domino est peculiariter tributa, mirandum nihil, si non præstant alii, quod ipsis nec habent, nec facultatem faciendi acceperunt.

Cum

Cum igitur suamet professione vacuam rebus ipsis habeat coenam, non nisi imaginariam coenam Domini, suis misellis exhibent discipulis. Clamitant interim contentissima voce, ac tantum non stentoria, sese Christum illic sua fide apprehendere, immo se se totum Christum habere praesentem: adeoque effutire non pudet, se cum Augustana confessione credere; corpus Domini substantialiter cum pane & vino in coena distribui. Sed haec verba inania esse, & voces: immo nugas canoras, quis cui mens est sana, suique compos non facilè videt? singunt enim tam suæ fidei (si Christo placet) Euangelicæ vim, energiam, & efficaciam, ut totum sese ipsis Dominus Christus communicet, omnibusque suis cum donis animo illabatur, cœlestiumq; donorum liberalissimè faciat participes. Hac imaginatione fascinati persuadent sibi, suisq; discipulis infoeliciter humanæ doctrinæ credulis, se sua in coena domini Christum (cui tamen fidem non habent) posse efficere; ut suū in coena

exhibeat corpus, habere essentialiter
præsentem; sese corpus Domini & san-
guinem verum, essentialiem, substan-
tialem, & si quid ulterius ad deprehē-
dendam ipsorum simulationem, me-
raque figmenta, adferatur discrimi-
nis, accipere, & sua in cœna partici-
pare.

Sed quām hæc sint ludicra, & speci-
osis verbis, immò fucatis & canoris
nugis palliata, inde prudens rerum æ-
stimator nullo deprehēdat negotio,
si Caluinistas roget: an plus aliquid
rei in crasso illo suæ cœnæ pane quis
accipiat, quām in verbī Dei concio-
ne? Sanè inficiari nemo ipsorum que-
at, modò ipsorum fidem vitrobiq[ue]
æquè fortem, & persuasionem æquè
imaginariam sibi faciat. An non igi-
tur tibi erit ridiculus, si quis Caluini-
starum sese afferat, sua in cōcionē to-
tum Christum suis cum donis accipe-
re? sese substantialiter & essentialiter
corpus & sanguinem suscipere? cùm
fide teneat Christum ad dexteram Pa-
tris assidentem cuius sese credit factū
hæredem & comparticipem.

Atqui

CONTRA CALVINIST. 149

At qui hic diuinæ concionis auditor, n
quiet aliquis Calvinisticorum sacrilego-
rum doctior, non in sacramento suscipit,
sicuti alij in cœna, quam nos in Sacramen-
torum accessimus numero. Accensetis
quidem verbo & vocabulo: sed tan-
tidem facitis ficticia vestra Sacramen-
ta, quanti nos vestram commenti-
ciam cœnam. Omnia enim vos fide
xstimatis vestra; de illorum opere, si-
ue diuina, & cœlesti ipsorum effica-
cia nihil. Mera enim facitis signa, siue
vti appellare vos non dispudet, sym-
bola velut militaria, tesserae quererū
inanis: quibus contra verbum Dei,
nescio quæ commenticia vestra ethel-
lotrescia affingitis somnia, nec ratio-
ne fundata, nec Orthodoxorum PP.
testimonijs firmata, nec diuinis deni-
que scripturis constabilita. Tantum
dem igitur iuxta vestram nouam A-
theologiam aliquis, vestris ex concio-
bus hauriat spiritus Christi, aut gra-
tiarum eius; quantum vestris ex Sa-
cramentis. Hæc enim vt definitione
monstrosa vobis temerè singitis: ita
numero Ecclesijs Dei ignoto (quia so-

K 3 lidis

lidis verbi Dei destituuntur testimonijs) orbi toti deludendo pueriliter obtruditis, immò ludicrè, ne dicam, inimicè, fabulando agitis. Cùm enim rebus ipsis nihil efficiatis, siue baptizando, siue cœnando (excepta illa lauta vestra offula, aut si mauultis bolo malè macerato) aliud aut præstantius: quam Mimus in Theatro canē lauans, aut comedatione fese ingurgitans (nisi quod hic misteriorum abest memoria) an non ficticia vestra sunt & Baptismus, & Cœna, quæ nihil præsens exhibent utenti? Sola fide omnia vultis peragi, quæ absentes res faciat esse voto & desiderio præsentes; non autem, uti Sacramentorum Christi natura efflagitat, ipso in actu per cœlestem diuini spiritus operationem existentes, mysterijsque inharentes. Sic enim Catholica Dei Ecclesia suis à magistris, diuis Apostolis erudita, toto tenet concorditer orbe Christiano. Cæterū ne nos humana putetis aut duci opinione, aut hominum DEO exosas sequi tradiciones, paucis pro huius loci instituto demon-

demonstrabimus ex liquido Dei verbo Christianè intellecto, in S. Eucharistia præsens esse ipsum verum Domini Christi corpus & sanguinem, sicuti diserta Domini Dei nostri Christi Iesu verba, Euāgelicis literis expressa sonant.

Qui ergo Christianè, hoc est Christiani hominis fide, obedientia & reverentia, verbo Dei audiendo & intelligendo digna illud in cœna dictū Apostolis : Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, accipiat; an si cogitet loquentem esse hominem veracem, & eundem Deum omnipotentem, habeatque persuasum, illum re ipsa exhibere, quod verbo dicit, ambigere queat in sancta Eucharistia, non esse corpus Domini verum & præsens, sua substantia & essentia, facuti verba loquentis sonant? Si Calvinistæ firmam, plenam, & indubitātē dicam nō fluctuantē in Dominum Iesum Nazarenū haberent fidem, verum esse ipsum & Deum, & hominem, equidem opinor, eos hacten amplius ambigere non posse.

K 4

Sed

Vide D. Au-
gust. Hom. in
Iohann.

Sed cùm alium sibi singant cū Ar-
rianis Christum, quām ab Apostolis
toti Ecclesiæ Christianæ pridem ab i-
nitio est annunciatuſ, ecquid miran-
dum, eos aliter de sacroſanctis, & ijs
cœleſtibus eius mysterijs loqui, ſenti-
re, credere; quam vera & Orthodoxa
credit, profitetur, & docet Ecclesia?
ſuas enim nō Euāgelicas, ſed philoſo-
phicas; non Apoſtolicas, ſed commē-
ticias ſecuti phantafias, dicam an in-
genij humani commenta, Christum
appellant ἀτόφουες, quaſi dicant ex ſei-
pſo Deum, non aliunde, haud obſcu-
rè doctis indicantes, ſeſe non Christia-
ne credere, Christum Deū ex Deo pa-
tre genitum, aut ex ſubtantia ſui Pa-
tris Dei, natum Deum. Certè dum
ſua impia rudimenta iſtius nouatæ fi-
dei à ſacrilego Catechista Vvilhelmo
Phareſſo Pneumatomacho (nam ſpi-
ritum Sanctum negauit eſſe tertiam
in SS. Trinitate personam) diſcebat
Caluinus, noluit Christum proſteri
Deum eſſe ex ſubtantia Patris geni-
tum. In colloquio enim Laufanensi,
anno xxxv, ſuper ſua fide postulatus,
respon-

respondit: *sese illud Symboli Athanasiani ex substantia Patris, ad gnomen SS. literarum expensurum.* Vides hic Calvinum doctorem sese professum, antequam discipuli partes probè fatis exegisset, atque ferulæ manum subduxisset. Qui ergo Iesum Christum fide nō simulata, nec dimidiata, nec Arrianis mi, nec aliarum hæresem veneno infecta credit esse Dei filium, & veritatis Euangelicæ magistrum, immò ipsam Dei veritatem vt falli, ita fallere nesciam, quonam obsecro pacto que at dubitare, an verum sit eius corpus in manibus sacerdotis præsens, quando Christi sacerdotis æterni vice dicit in antitypo prisci Melchisedech sa crificio: *Hoc est corpus meum?* Dubitet Iudeus, qui Iesum Nazarenum negat esse Dei filium; itaque de illius ambigit potestate.

Dubitet Mahumetanus, qui Iesum Nazarenum suo posthabet Pseudo prophetæ, itaque de illius diuino dif fidit promisso. Sed qui Christiano glor riatur nomine, quinam potest, obsecro, de veritate asserti illic corporis

K 5 veri

veri dubitare: modò sui non obliuiscatur nominis? Si enim Deum omnipotentem verè, ac non hypocriticè credis, quinam potes de facultate illius ambigere aut dubitare potestatem? At hīc declamat Beza, doctior Poeta & Grammaticus, quam Theologus, sui Euclidis, cyclicis, imò cyclopicis armatus syllogismis, sed re ipsa plumbæis, non potest Deus efficer, ut idem corpus verum sit & in cœlo, & in terra. Vniuersa enim alioquin confunderetur rerum natura: quæ cū ique corpori non imaginariò sua assignat loca, ne fiat penetratio dimensionum, & similia: quæ isti sophi nugatur Metaphysica theorematā. O audacem, imò amentem Theomachum: si modò aliquem nunc credit Deum: quo pridem nomine, cum Aureliani operam daret lucroso Iuri, ita male audiebat, ut nouus Theodorus, seu Atheus passim à condiscipulis dictaretur. Si ergo Deum credit, certè Cyclopas illos Homericos temeraria superat audacia: qui Augustam illum & incomprehensam, immò infinitam

nitam diuinæ maiestatis potestatem
suo metiri, adeoque definire audet
ingenio. Hic ô utinam mi Beza, tu-
am magis consuleres fidem Christia-
nam, quam apodixin Euclidianam?
Si fidem habeas diuo Hilario Patri-
tuo, Gallus Gallo, Christianus Chri-
stiano; audires: Non est humano aut
ferali sensu, inquit, contra Arrianos,
in Dei rebus loquendum: quæ scrip-
ta sunt, legamus: & quæ legerimus,
intelligamus: & tunc perfectæ fidei
officio fungemur. De naturali enim
in nobis Christi vnitate quæ dicimus;
nisi ab eo discimus, stultè atque im-
piè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea
verè est esca, & sanguis meus verè est
potus. Qui edit carnem meam, & bi-
bit sanguinem meum, in me manet,
& ego in eo. De veritate carnis & san-
guinis non relictus est ambigendi lo-
cus.

Nunc enim & ipsius Domini pro-
fessione, & fide nostra verè caro est, &
verè sanguis est.

Quod

Quod si malis Chrysostomum audire, arrige aures precor: In his mysterijs verba illa Christi Domini: Hoc est corpus meum, esse operatoria, nō minus quam illa. Fiat cœlum! fiat arida! dixit & facta sunt; quibus ex nihilo quod vides, quod sentis, quod manus pertractas, factum est. Si nondum infirmitati tuæ satis est factum, audi B. Ambrosium ex vicino tibi Mediolano acclamantem: Auctor Sacramētorum quis est, nisi Dominus Iesus: de cœlo ista sacramenta venerunt: cō filium enim omne de cœlo est. Verè autem magnum est, & diuinum miraculum, quod populo pluit Deus manna de cœlo, & non laborabat populus, & manducabat. Tu fortè dicis, meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est, ante verba Sacramētorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.

Sic omnes ubique fideles credunt. Sic totus semper orbis Christianus sensit: sic vniuersa & Catholica Christi Iesu, & Apostolorum eius discipula Ecclesia, in hunc usque diem constanter

*Lib. de Sacra
mento.*

stanter atq; concorditer obtinet. Por-
rò ne quis Christianorum de sua que-
at fide dubitare, quin in S Eucharistia
etiam à malis & indignis sumpta, ve-
rum sit corpus Domini, horribiliter
nobis D. Paulus terribili sua procla-
mat tuba: Qui manducat indignè(in-
qt) iudiciū tibi manducat & bibit, nō
dijudicans corpus Domini. Si igitur
Corinthij fratres diserto D. Pauli te-
stimonio, quod nulla eueratur so-
phistica stropha, aut callido deprave-
tur sophismate, indigni & mali suam
ad damnationem accipiebant corp^s
Domini: quis Christiana fide imbu-
tus, suique memor nominis, potest
cum ratione inficiari, esse in S. Eucha-
ristia corpus Domini? Quod cùm vi-
ri Christiani ad vnum vbiique omnes
semper, idque concorditer ab ipsis us-
que Christianæ fidei incunabilis sint
professi, quis suæ mentis compos, &
cuius oculi fidei non sunt glaucoma-
te nouæ perfidiæ suffusi, nō videt per-
spicuè, istam Calvinistarum cœnam
nō esse Domini cœnam: sed cœnam
diaboli? ut potè mero diaboli menda-
cio

cio nixam, instructam, excogitatam.
 Non quidem, quin apud eos aliud in
 sua, quam dicitant, cœna sit, quam
 merus panis, aut vinum, quia à Chri-
 sti sacerdote, qui eius vice sacrificat,
 non sanctificatur & consecrat: sed
 quod plus est in S. Eucharistia Chri-
 stiano, Euangelico, Apostolico ritu,
 atque legitima ministri potestate cō-
 secrata. His autem argumentis cùm
 sit liquidò euictum, Caluinistas à ve-
 ro Christi Iesu Euangilio aberrare, at
Commiserati
one duplici,
cur digni Cal
uinistæ.
 que à doctrina deuiare Apostolica,
 magna in primis digni sunt commis-
 ratione, non solùm quod in fœdissi-
 mos istos arte Sathanica sunt deuolu-
 ti errores impios planè, omnibusque
 pijs abominandos & execrandos: sed
 etiam quod in profundum impieta-
 tis demersi, omnem spernunt moni-
 torem, qui ad mentis, imò fidei reue-
 rà Christianæ conetur reuocare sani-
 tatē. Impletur enim in ipsis infelici-
 ter, quod Dei spiritus prædixit pecca-
 toribus sua in perditione, infeliciq;
 peccatorum statu obduratè perseue-
 rantibus: Impius cùm in profundum
 ve.

venerit, contemnet.

Nisi enim manifesto laborent diuini iudicij flagello, siue immissa diuini tūs, iustoq; ob peccata iudicio aoraria, ac mentis cecitate moniti, saltem ad exemplum sui Hæresiarchæ Galli. cani Berengarij resipiscerent. Is enim inuictis Catholicorum rationibus ex Dei verbo petitis eò fuit adactus, vt sui erroris prophani publicè conuictus, bis ter in Synodis Ecclesiasticis palinodiam cecinerit, quemadmodum legere est apud doctissimos viros eius æquales Lanfracum, & reliquos simul excusos. Quibus equidem similem sperarem euētum (quē votis quotidianis pro eis ad Dominum clementiss. non semel fusis optamus, feruidoque pectore imprecamur) si modò firmam sibi obtineret in Christum Iesum Dei filium fidem, quam vereor, ne callidus ille serpēs in afflictis miserrimè ipsorū mentib. totā labefactarit, conuulserit, euerterit.

Hoc enim iacto à Sathana in aliquo impietatis gradu, non esse veram Iesu Christi doctrinā de suo corpore

*Aequales Be-
rengarij ac co-
discipuli fo-
dos Caluini.
starum erro-
res doctiss. co-
futarunt.*

pore in S. Eucharistia praesente, omnis ei ad omnem impietatem aperta est via, ut mentem hoc quasi fascino imbutam, immo dementatam, quod ipsi libet, deuoluat; & ceu duro capistro captiuam per omnes errorum cloacas miserrime pertrahat.

Hinc videmus tam multos Calvinistarum Turcas fieri, vel suscepta ipsorum circuncisione carnali. Item plurimos inter eos existere Atheistas: de quo & ipse Beza, & Henricus Stephani, & alij plurimi eiusdem fermenti Pharisaii, suis de commanipularibus lugubriter conqueruntur: lamentantes non modò varia per Galiam inolescere Atheistarum genera: sed nomen etiam sibi vendicare Deistarum.

Adhæc eò deueniunt dementiae, ut quidam opinentur, nouam esse singe-
Venetijs non na Mosaica, & Alcorano Mahumeti
 deesse Calvini discipulos, conflanta. Tales Venetijs, & alibi nō
 eius loquuntur epistole. paucos agere narrant, qui Occiden-
 tur orbem peragrarunt. Testatur
 Henricus Stephani, Vvilhel. Postellū
 hanc

CONTRA CALVINIST. 161

hanc hypothesisin Venetijs apud mul-
tos se audiente ventilasse sed quid illi
respōderint sophi, nō exponit, facile
ex vnguib^o leonē. Quid Parisijs hacte
nus sit molitus, varij variè nobis refe-
runt: ad cuius scholas parum Christia-
nas iam totos fere annos duodevigin-
ti, & quod excurrit, incredibili nume-
ro profisionum omnium viri con-
fluunt, paradoxas eius disputationes
audissimè haurientes sed quid priua-
tis in colloquijs, ceu mysticis suis Ar-
coumatis instillet mysticum, quiduè
atheologicum, immò Christoma-
chum huius non est loci edicere. Po-
stremò non desunt hoc infeliciss. tem-
pore, qui omnem superantes nō mo-
dò impudentiæ, sed & blasphemiae
modum audent scribere contra tres
impostores, Moysen, Mahumetam
& quem mihi religio est hoc loco præ
blasphemiae horrore) quia contremi-
scō referens) nominare. Hæc si non
est Sathanica in Deum & Christum e-
ius blasphemia, nescio quid sit blas-
phemia: à quo Dom. Deus totum rā-
dem repurget orbem. Impij scripti ex

L em.

Vide Gallie.

Henrici

Stephan.de

prefat.in He

rodot.

cmplaria ex Francfordia euocaui Ni-
hil autem aliud retuli responsi. Nul-
lum illic existere amplius: quod uni-
uersa essent in Galliā aucta, vbi eius
lectione nobiles feruntur mirificè
oblectari. Si Postellano auditorio, illi
potiss. Veneto non probantur, equi-
dem satis demirari non possum: cùm
istius atheismi præludia, & tam bellas
ante annos ferè nouem in Veneto Ar-
senali iecerit isagogas, ex pfecto Chri-
stomachas, & verissimo Luciano dig-
nas. Ex quo venenato ouo iam pridē
Geneuæ ab aliquot Italis philoso-
phis posito (sicut videre est apud Be-
zam in vita mendacissima sui Calui-
ni) quid toti orbi exspectandum, ni-
deus auerterit propitius, diuinatu nō
est pijs difficilè.

Istam impietatis Caluinisticę, imò
verius Sathanicę, ac veri atheismi in-
fernalem voraginem non aliundè o-
pinor equidem nobis prouenire, quā
quod labefactato illo de S. Euchari-
sticę veritate articulo, & primario reli-
gionis Christianę capite diabolus nul-
lo negotio facilè animū hoc fidei co-
lumi-

lumine spoliatum, in omnem, quam
vult, trahit, immo propellit, impietate.
sublato enim ex hominis mente illo
fidei Christianae dogmate, quo nullum
habemus verbis adeo multis, adeo p
spicuis in Euangeliō confirmatum,
ecquid mirandum si obscuriora dog-
mata paulatim gliscente in horas in
cancri more impietate, vniuersa tan-
dem omnia reijciat, respuat, execre-
tur? Proinde sapientibus mirum videri
non debet, si Calvinistas audiat passim
Turcas fieri, immo Iudaica circuncisio-
ne praeordi: cum paulatim ad Antichri-
stum, omnemque impietatem, fide istius
dogmatis Eucharistici abnegata, ster-
hat viam; immo verum introducat atheis-
mum, & nullum faciat B. resurrectionis
spem in hoc mortali corpore futuram.

Si enim crederent verum Do. cor-
pus in S. Eucharistia esse, crederent
quoque sumi ad corporum nostrorum
immortalitatē per illud cōmunican-
dam. In hunc enim usum datur, quan-
do à Catholicis (dicente Sacerdote,
Corpus Do. custodiat animam tuam &
corpus tuum in vitam æternam) reli-

giosè ac piè sumitur. Habet enim vī
corpus nostrum etiam mortuum vi-
uificandi, atque immortalitati pristi-
næ restituendi.

Sic enim nobis D. Christus promisit.
Qui manducat meam carnem, viuet
in eternum Panis enim, quem ego de-
dero, caro mea est / siue ut alia legit
antiqua verio in codice Euangeli-
orum à D. Gregorio, Anglorum Regi,
ut putatur, missa) corpus meum est
pro mundi vita, nimirum instauran-
da, & hominibꝫ immortalitate olim
perdita restituenda.

Hanc spem beatæ immortalitatis
corporibus nostris olim restaurandā,
Catholici semper ex usu S. Euchari-
stiæ concipimus, quotidianoq; exer-
citio indies nobis confirmationē redi-
dimus, sicuti & maiores semper feci-
se ex doctissimis eorū scriptis liquet.
Vide S Iren 3. lib. & D. Hilarium li. 2.
& D. Iustini. A qua spe sibi confir-
mada cum ex siderint miseri Calui-
nistæ, non mirum si acrosanctam cō-
temnant Eucharistiam, quæ ipsorum
corporibus perditam olim possit re-
stitue.

stituere, solideque instaurare beatam illam, nulloque modo estimabilem aut comprehensibilem immortalitatem. Eam qui ex Ven. Sacramento Eu charistiæ iuxta Dom. Christi promisum non expectat (quia non credit illic se poss. certò consequi) sanè mirandum non est si in auia diaboli seductus varios in errores Sathanicos abripiatur. Quod Caluinistis accidere, luce meridiana liquet clarius. Non modò enim Turcarū abnegata Christiana religione, impiam fuscipiunt perfidiam ex aliquot Iudaismi & Christianismi capitibus stolidè committam: sed duram etiam illam Iudaicā carnalis circumcisionis superstitionē, quemadmodum ijs notissimum, qui Francfordiæ, aut Constantinopoli sunt versati, vbi non paucos Gallos Caluinistas ex Christianis, prō dolor in Turcas degenerasse nominatim commemorant.